Σὺν Θεῷ.

Vir Illustris. S. P.

Hagae cum non ita pridem essem, hebdomada proxime elapsa, idque negotii illius mei causa; defectu Illustris viri praesentiae, bonae sorti refero acceptum, quod colloquium mihi cum ampl. D. Graphiario fuit, non parum humanitate (ut videbatur) erga me affecto. Multus ac de variis inter nos sermo: saepe etiam de te (quid enim dissimulem?) ut est ille vir et cognitor virtutum tuarum, ideoque mirator et praeco. Id me impulit ut ad te scriberem, et facilius persuasit, quia occasio etiam esset: quod nunc nuper admodum theses meas Principi Celsissimo inscripserim et miserim, et additus pro illo negotio meo ad eundem libellus supplex: qui a se minus fortasse commendabilis, iuvari proinde quid possent gratia et auctoritate tua. Scimus enim quem locum apud magnum Principem nostrum meritissimo teneas: cui consilium et columen es, et sum illi, ut sic dicam, Pallas. Felicem Principem talibus ministris! qui praeter prudentiam et fidem, probitatem etiam adfectis et modestiam in sublimi illa fortuna. Quod Catoni suo Poëta adscribit, tibi convenit:

—Iustitiae cultor, rigidi servator honesti
In commune bonus

Privatim ut etiam in me bonus sis, ac mihi ... quasi Minerva esse velis, et hocce negotium causamque apud magnum illum Nestorem sistas, per communis patriae iura, rogo te oro. Cuius iudicii libram si testimonii tui momento in favoris partem inclinas; tibi ego, et meorum [illegible] honestissima studia mea debebimus, quae, nimis diu est cum apud nos pro salutari utilitate, per paupertatem [illegible], iacent et languent. Erige et attolle: Ita Deus te hic feliciter ad illa alta et aeterna. Postulatam schedam praecipuorum monasterii illius mediorum a D. Graphiario, post Illustris vestrae Dominationis et dignationis responsum aut compellationem, exhibiturus (quantum id pro absentia potest) accedam; geometrice aliquin praesens demonstraturus. Iterum ac tertio Illustri viro hoc honestiss. studia commendo, bonarum artium semper a puero nutritio, Patrono, fautori summo. Unus enim ille mihi finis et scopus, non ut maior, sed ut melior fiam, et alii per me tales. Vale Vir Illustris, et virtuti tuae addictissimum, beneficio etiam obstringe. Rhenis Batavorum Dabam die 17. Feb. CIↃ.IↃC.XLIII.

Illustris Dnationis vrae
Obsequiosiss. ac
Intimus Cliens
Lambertus vanden
Watersaet

Illustri viro

D. Constantino
Huygenio, Equiti,
Domino à Zuylichem
Celsissimo Arausionum
Principi à Consilijs
et Secretis

Hagam

par amis [illegible]

© British Library
Add MS 22953, f. 307
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/2952